



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermannii Conringii De Antiquitatibus Academicis
Dissertationes**

Conring, Hermann

Helmestadii, 1674

Svpplementvm LXX. Ad pag. CXLIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12929

cras sive Ecclesiasticas tractabant: quandoquidem scilicet hæc etiam deliberatio credita fuit ad forum Ecclesiasticum pertinere, ut scholasticum omne. Ego nihil definire ausum: sed malo ~~intervenire~~.

SUPPLEMENTVM LXX.

Ad pag. CXLIII.

Dissertatio adduxit sola isthæc Authenticæ verba, quæ ad jurisdictionem spectant in Scholares. Hoc loco nos integrum dabimus, quoniam deinceps etiam alia hujus Authenticæ veniunt illustranda. *Habita quidem super hoc diligenti inquisitione Episcoporum, Abbatum, Ducum, omnium Judicium, & aliorum Procerum sacri nostri Palatii examinatione, omnibus, qui causa studiorum peregrinantur, Scholaribus, & maxime diuinarum atque Sacrarum Legum Professoribus, hoc nostræ pietati beneficium indulgemus, ut ad loca, in quibus literarum excentur studia, tam ipsi, quam eorum nuncii, veniant, & in eis secure habent. Dignum namque existimamus, ut, cum omnes bona facientes, nostram laudem & protectionem omnimodo mereantur: quorum scientia totus illuminatur mundus, & ad obediendum Deo & nobis ejus ministris, vita subjectorum informatur; quadam speciali dilectione eos ab omni injuria defendamus. Quis enim eorum non miseratur, qui amore scientie exules facti, de divitibus pauperes semet-ipsos exinaniant, vitam suam multis periculis exponunt, & à vilsimis saepe hominibus (quod graviter ferendum est,) corporales injurias sine causa perferunt. Hac igitur generali, & in perpetuum validura lege decernimus, ut nullus de cætero tam audax inveniatur, qui aliquam scholaribus injuriam inferre præsumat: nec ob alterius cuiuscunque provinciæ delictum, sive debitum (quod aliquando ex perversa consuetudine factum audiūimus) aliquod damnum eis inferat: scituris hujusmodi sacræ constitutionis temeratoribus, & etiam ipsis locorum Recloribus, qui hoc vindicare neglexerint, restitu-*

restitutionem rerum ablatarum ab omnibus exigendam in quadruplum: notaque infamiae eis ipso jure irrogandâ, dignitate sua se carituros in perpetuum. Verumtamen si litem eis quispiam super aliquo negotio movere voluerit: hujus rei optione data Scholaribus, eos coram domino, vel magistro suo, vel ipsis civitatis Episcopo, (quibus hanc jurisdictionem dedimus) conveniat. Qui vero ad alium judicem eos trahere tentaverit, etiam si causa justissima fuerit, à talè conamine cadat. Hanc autem legem inter Imperiales Constitutiones, scilicet sub titulo *Ne filius pro patre, &c.* inseri jussimus. Dat. apud Roncalias, anno Domini 1158 mense Novembri. Haec. nus Authentica isthæc. In qua non nisi de perquam paucis agi liquidum est, si verba spectemus: & tamen, quod meritò mirere imò improbes, solent vulgò tantùm non omnia Academicarum privilegia ab interpretibus quibusdam hinc exsculpi; quorum tamen pleraque longo pòst tempore demum & per partes sunt instituta. Enimvero laxis illis interpretationibus, me quidem judice, verus Authenticæ sensus pene interiit. Sed & cum Privilegia sint stricti juris, non est fas isthæc ultra verborum præscriptum extendere.

SUPPLEMENTVM LXXI.

Ad pag. CXLIV.

Securitatem adeundi loca, in quibus litterarum exercentur studia, utque in iis secure possint habitare, non Scholaribus duntaxat peregrinantibus, sed etiam & quidem maxime divinarum humanarumque Legum Professoribus, nec non eorum nunciis, jam tum in hac Authentica indulserat Imperator. Itaque hactenus par omnium horum est ratio. Dixeris tamen haud abs ratione, ad solos omne hoc peregrinantes pertinere, non autem etiam ad eos qui nati in locis literarum studio consecratis ibidem in patria suâ literis dant operam: quibus nempe jam tum per ordinarios magistratus satis fuit cautum,